

2 Jo. Moſeh. in
prat. ſpirit.
cap. 77. idem
tradit, addens
Jeremiæ me-
moriam ſum-
miſ honoribus
coli in vico
Alexandriæ,
dicto Tetra-
phyllo.

Jeremia derivatâ rem ſe tenuiſſe. Adde-
bant, Alexandrum Magnum, cum fortè ad
tumulum ejusdem Prophetæ ſe contuliſſet,
auditis ejus viri de ſe oraculis, ejusdem
reliquias aſportari Alexandriam, & in ma-
gnificentiſſimo à ſe erecto tumulo recondi
juſſiſſe (r). Hæc è Chronico Alexandrino
deducta, dum nullum habeant veterem af-
fertorem, fidei ſunt ſubleſtæ.

Eupolemus apud Eusebium Præpa. lib. 9.
cap. 39. non ſanè in Jeremiam, cujus laudes
proſequitur, iniquus, plura de illo narrat,
frustra alibi quærenda. Imminentem Ju-
dæis idololatriæ exitum vir ille prænuncia-
verat, cujus rei merito ſententiâ Regis Joa-
chim ad ignem mox fuerat damnandus, ſed
ab eo conſilio Regem abſtenuit, quod dice-
ret, Judæos in captivitatem adductos iſi-
dem lignis, quibus ſibi piram conſtruxerant,
uſuros, parandis cibis victoribus Babylo-
nis, effodiendiſque in vicinia Euphratis &
Tigridis foveis. Contigit reapse, ut Nabu-
chodonosor certior de hoc Jeremiæ ora-
culo factus, expeditione Judaicâ decretâ,
foederatum ſibi adjugeter Aſſybarum Me-
dorum Regem, junctiſque cum illo armis
poſt occupatam Samariam, Galilæam, Scy-
thopolim, Galaaditidem, evertit Jeroſo-
lymam, Joachimum omneſque templi di-
vinitas tranſtulit, ſolis exceptis Arcâ, ta-
bulis Legis, & Jeremia.

Pleræ ſunt in hac hiftoriâ conſicta, &
veritati planè repugnantia, uti que nar-
rantur de federe cum Rege Medorum,
ſicut & de cauſa ſuſcipiendi ab Aſſyriis in
Judæos belli; ut nihil dicam de occupata
Samaria, quæ à Cuthæis Nabuchodono-
ſoris ſubjectis tenebatur, niſi ſi fortè, quod
facile credimus, tunc temporis nulla erant
Samaritæ niſi rudera. Quod ad Arcam
& Jeremiam à Nabuchodonosore relictum
ſpectat, traditum id 2. Maceh. 2. 4. 5. 6.
ubi legimus, Jeremiam aſſumptum ſa-
crum ignem in cifterna quadam occultaffe;
tranſtuliffe inſuper Tabernaculum, & Ar-
cam in ſpeluncam montis Nebo, ubi olim
Moyses occubuerat, ibique ad hodiernam
uſque diem celatam ſervari.

* Orig. &
ejus ſectatores
apud Hieron.
in Jerem. 1.
Non deſuerunt inter Vetres (*), qui
antequam planè conciperetur, reapse tamen
in rerum natura extiſſe autumarunt, quod
deſumpſiſſe ſibi ex illis Jerem. 1. videban-
tur; Priuſquam te formarem in utero, novi
te, & antequam exires de vulva, ſanctifi-

cavi te. Qui verdè à Patribus rebantur,
ſuperſtitem adhuc Prophetam cum Elia
manere, de illo ſcriptum interpretantur
illud Apoc. 11. 3. 4. Et dabo duobus teſtibus
meis, & prophetabunt diebus mille ducentis
ſexaginta annis ſaccis. Opinionem
hanc quamvis ætate ſua, uti ipſe quidem
fateretur, receptiſſimam, minùs ſe probare
ſcribit S. Hilarius in Matth. Can. 20. Porro
2. Mace. 15. 13. fatiſ pro ejus obitu aper-
tum eſt teſtimonium: Hic eſt, qui multum
orat pro populo, & univerſa Sancta Civi-
tate, Jeremias Prophetæ Dei. Ejus memo-
riam inter viros ſanctimoniâ inſigniores
Veteris Teſtamenti coluit Eccleſia, quippe
qui unus idemque & Prophetæ, & Virgi-
nis, & Martyris dotes in ſe concilia-
verit, atque ab ipſo matris utero morum
ſanctitatem retulerit (s).

Pedeſtri ſtylo potiùs, quàm ſublimi, ſi
cum Iſaiæ, Oſeæ, aliorumque Prophetarum
conferatur, juxta Hieronymum Præ-
fat. in lib. 6. Comment. in Jerem. uſus eſt;
cujus rei in cauſa idem S. Doctor credit eſſe
humilem patriam, vicum nempe Anathoth,
unde nihil ingenuum, nihil elegantia & pu-
ritate ſtili ſpectatum, quod maximè in am-
plis Urbibus & in Aula ſolet, derivari
potuiſſet: Sed, ait, quantum in verbis vi-
detur ſimplex & facilis, tantum in maje-
ſtate ſenſuum profundiffimus eſt. Cuius de
Repub. Hebr. lib. 3. cap. 7. Jeremia, inquit,
omnis majeſtas poſita in verborum neglectu
eſt, adeo illum docet ruſtica dictio. Moven-
dis affectibus, ac maximè ad miſerationem
ſtlectendis, valere illum Grotius autumavit,
ut de illo dici queat quæ de triſti, & lu-
gubri Simonidis ſtylo feruntur: Triftius la-
crimis Simonides. Namque in eo maximè
valuiſſe Simonidem etiam Quintilianus
animadvertit; ut nemo illo meliùs elegias
& triſtes Lucubrations ſcriberet (t). Ex-
cellentiffimum hujus rei ſpecimen præbent
Lamentationes Jeremiæ. Non deſuerunt
tamen, qui in eo Prophetæ ſtili grandita-
tem obſervarent (u). Alii molliores affe-
ctus, & fervidos vividoque motus in ejus
ſcriptis animadvertunt (x). Verſio Greca
Jeremiæ nec exacta eſt ſatis, nec ad lite-
ram, qua de re conqueritur S. Hierony-
mus Præfatione in Jeremiam Verſioni ſue
præfixâ. Frequentes etiam in illa tranſpo-
ſitiones, maximè poſt cap. 25. occurrunt.

s Vide Hieron.
in Jerem. 23. 9.
Filios eidem
tribuit Para-
phraſes Chal-
dæus in Je-
rem. 37. 12.
t Quintil. lib.
10. cap. 1. Simo-
nides, tenuis
alioqui, ſer-
mone proprio,
& jucundita-
te quâdam
commendari
potest; praci-
pua tamen
ejus in com-
moverenda mi-
ſeratione vir-
tus, ut qui-
dam in hac
cum parte em-
nibus ejusdem
operis Autho-
ribus præſe-
rant.

u Sanct. Pro-
leg. Dupin,
Fraſſen. Ve-
rum D. Si-
monius in
Epistolâ Se-
lectis t. 3.
Epist. 7. Sup-
plem. itemque
in Diſſert. Cri-
tic. ſub Reve-
lini nomine
vulgatis Fran-
cofurti 1688.
contendit,
hanc illorum
ſententiam è
minori peritiâ
linguæ He-
braicæ prove-
niſſe; opinio-
nem illi muta-
rent, ſi in He-
braicæ linguæ
cognitione
magis ali-
quanto profec-
diſſent.

x Fleur. præ-
fat. M. S. in
Prophetas, Je-
remia man-
ſuetudinem,
affectus tene-
ros, fervidoſ-
que motus.

DISSERTATIO

DE CHARACTERIBUS MESSIÆ juxta Hebræos Jesu Christo recentiores.

Cum omnium Judæorum cu-
juſque ætatis expectationes
in Meſſiam verterentur,
ideam de illo non obſcuram
habuiſſe credendi ſunt, cer-
tiſque ipſum characteribus
ab univerſa gente receptis designaſſe, quo
certo indicio, ſi tandem in mundum ve-
niret, agnoſceretur. Maximum illud fi-
dei dogma neminem latere oportuit; om-
niumque expectatio in eum taquam Li-
beratorem ab omnibus Scripturis promiſſum
tendebat. Undique in Scriptura occurrunt
expreſſi de illo characteribus apertiſſima,
quamvis alioqui variis temporum & re-
rum circumſtantiis varia, ejusdem tamen
ſpiritus in omnibus Prophetis loquentis,
vaticinia. Nunquam non ingeritur Meſſias,
tanquam Deus & Homo, magnus ſimul &
abjectus, Dominus ſimul & ſamulus; Sa-
cerdos quin etiam & victima, Rex & Re-
gi ſubjectus, morti obnoxius & mortis vi-
ctor, dives & pauper, validus ſimul &
imbecillis. Hæc inter ſe, ſed ſpecie tan-
tùm, repugnantia, in uno Meſſia concilia-
da expectabantur. Ipſi enim iidemque Sa-
cri Scriptores majeſtatem Regis & victo-
ris, Meſſia tribuerunt, quem alioqui de-
pungebant tanquam virum dolorum, no-
ſtræ infirmitatis, contemptus, & humili-
tatis exuviis velatum.

Norant etiam Judæi Jeſu Chriſto ſup-
pares ortum ducturum Meſſiam è Tribu
Juda, Familiâ David (a), in vico Be-
thleem (b). Norant manſurum illum pa-
ri æternitati ſpatio (c); ejus adventum ho-
minibus ignotum futurum (d), quamvis
alioqui oraculum ille in Lege promiſſum
de magno quodam Propheta impletur (e).
Eundem futurum ſciebant filium & Do-
minum David (f), miraculorum gloriâ
coruſcaturum (g); poſt plurima perlata,
è mortuis ad vitam deinde rediturum (h);
omnia per ipſum reſtituenda (i); Eliam
habiturum adventus ſui præconem (k).
Huic eſſe agnum crimina mundi expiaturum
(l); adventus ſui argumentum in reſurre-
ctione mortuorum, in reſtituta le-
proſis valetudine, in Evangelio annun-
ciato pauperibus, exhibiturum (m). Jeſus
Chriſtus Judæos ipſos provocat, ut veros
in ſe Meſſiæ characteres noſcerent.

Scitum erat, Meſſiam non abolendæ Le-
gi, ſed perficiendæ venturum (n); lapi-
dem offendiçuli futurum, in quem plures
impingerent (o); eliminandam ab illo ido-

latriam, & impietatem (p); certatim
populos ad Dominum convoluturos (q);
quamvis alioqui adverſarios & obſtacula-
tores in ſe provocaturus eſſet, ne Regibus
quidem exceptis (r). Ejus cadaver immu-
ne norant ab incorruptione (s); genuinam
Legis intelligentiam ab eo petendam (t).
Tandem ne dubii quidem tenebant, Meſ-
ſiæ adventus ad ſecundi Templi ætatem
ſpectare, & poſtiſſimum circa ætatem Jeſu
Chriſti proditurum, à quo etiam omnes
demonſtrantibus, nemo ſanè Judæorum coram reſiſtit,
contendens nihil horum Meſſiæ convenire;
ſed hæc tantummodo obſtrectatores ogge-
rebant: Hæc quæ annunciatis omnia à Je-
ſu Chriſto inſigni impoſtore, Legis ever-
ſore, alieniſſima ſunt, quare alter ab illo
Meſſias expectandus eſt. In eo tantum, in-
quit S. Hieronymus Præfat. in Commen-
lib. 6. Jerem. cap. 30. Judæos inter & Chri-
ſtianos certamen eſt, ut cum illi, noſque
credamus Chriſtum Dei Filium repromiſſum,
& ea quæ ſunt futura ſub Chriſto, à nobis
expleta, ab illis explenda dicantur.

At enim ſi Judæi æquè omnes id de
Meſſia habebant exploratum, ut quid igitur
Jeſum Chriſtum hiſce expreſſum char-
acteribus non agnoverunt? nonne in hunc
hominem Deum omnia quadrabant futuri
Liberatoris indicia? Fateor quidem men-
tibus Judæorum diſtinctam hanc & locu-
lentam Meſſiæ ideam verſatam; ſed non
deerat magno etiam numero Judæi craſ-
ſiores ruſeſque, qui aliam planè ſibi de
Meſſia ideam formaverant. Rati illi nihil
niſi ſummum in Meſſia ſpectandum, pro-
diturum credebant eo majeſtatis apparatu,
ut nihil cæteris per orbem Regibus eâ in
re concederet; quare nec deſuturum illi
Regnum in mundo, cui jura daret, non
arma, quibus hoſtrum Iſraelis cornua con-
ſtingeret, non virtutem, qua parem ſum-
mis Imperatoribus bellicæ laudis gloriam
compararet, ac tandem nihil ſub eo Rege
reliqui futurum Judæis ad gloriam, & fe-
licitatem. Quidquid poterat ambitioſum
animum occupare; quidquid exigendæ ul-
tioniſ cupidus animus expoſceret, ea om-
nia à Meſſia præſtanda facile autumabant.
Quod verdè ad natalium ipſius humili-
tatem, & vitam ejus ingloriam perti-
net, ejus illi quidem conſuſam habebant
ideam, & ad figuratum ſenſum detorque-
bant;

p Iſa. 43. 24.
25. & 44.
22. & 60. 18.
q Matt. 12. 18.
21. Iſai. 42. 1.
r Pſal. 2. 2.
s Pſal. 15. 10.
t Ab. 2. 17.
u Jo. 4. 25.

bant; ut hanc veritatem veluti ex oppan-
so velo translucentem respicere videren-
tur. Tandem eo velo reducto post Resur-
rectionem Jesu Christi, & constitutam Ec-
clesiam, tunc demum, sin minus ceteri,
saltem tamen Apostoli & Discipuli ipsam
veritatis faciem spectarunt.

Cum Jesus Christus in mundum venis-
set, omnium oraculorum fidem, eorum
etiam, quæ de passione, atque humilita-
te ipsius à Prophetis prædicta sunt, imple-
vit. Humilis enim venit, inglorius, ob-
scurus, qui plurima toleraret, nec labori
parceret, nullo satellitio, nullâ potentia,
nullâ gloriâ, aded ut omnia quæ in ipso
magna supra naturam & Divina nitebant,
hæc veluti sub obscurâ caligine tecta &
eclypsim passa viderentur.

His præ oculis Judæorum versantibus,
qui carnis oculis intuebantur, Judæi cras-
siores scandalo quidem afficiebantur; quod
etiam de Messia à Prophetis prædictum no-
vimus. Prophetæ namque ita in apertum
proditurum illum annunciarunt, ut con-
temptui habitus relictusque tandem sup-
plicio perimeretur; illud in se uno simul
conciliaturus, ut petra esset preciosa in-
fundamento constituta, & lapis scandali,
in quem Judæi impingerent, ab ædificato-
ribus reprobandum. Neque Divini consilii
providentia aliter disposuerat, ut Judæo-
rum plerique, pervicaciæ suæ merito, ita
viderent ut non intelligerent, ita audirent
ut non perciperent, atque ita obfirmato
in impietate corde à salute exclusi,
novo populo, olim infideli & extraneo,
modò in foedus accito, concederent. Ita
constant omnia quæ in speciem repu-
gnare videntur, siue ea quæ ad Mes-
siam pertinent, siue ea, quæ ad Judæos;
quorum alii Jesu Christi dictis credulas
aures præbuerunt; incredulas alii, quamvis
alioqui utrique ea de Messia nossent, quæ
in Jesu Christo exactè quadrabant.

Post Apostolorum prædicationem, Hebræi
conceptæ olim opinioni pervicacissimè in-
herentes, obfirmatum habuere in impieta-
te animum; & cum iniquis oculis Ecce-
sias prosperitatem, per universum latè or-
bem, eliminatâ Idololatriâ & Judaismo,
propagatâ aspicerent, tum insuper à Chri-
stianis argumentis à Scriptura petitis preme-
rentur, ut tandem veritatem Oraculorum
in Christo impletam agnoscerent; tantam
non ferentes invidiam id sibi sumpserunt,
ut apertissimos alioqui Oraculorum sensus
ad alia flectentes, aliò etiam Prophetas de-
torquerent, litem instituerent in verbis;
ac tandem fabellas quamplurimas de Jesu
Christo oggerentes, in ejus doctrinam crea-
rent invidiam; novas easque absurdissimas
de Messia ideas procuderent; nihil morati
traditiones, & sententias Patrum suorum,
quò nobis magis magisque negotium fa-
cesserent.

Nec illis quidem statim hæc omnia suc-
currebant; sed identidem, & quasi per
gradus; ita in Paraphrasis Chaldaicis,
quæ sine controversia Libri sunt post Scrip-
turas apud Hebræos vetustissimi, nonnul-
lis post Jesum Christum sæculis concinna-

ti, plurima de Messia exponuntur, quæ
temerario ausu à recentioribus Judæis aliò
desectuntur. Per gradus, ut jam innui,
in tantum devenerunt pervicaciam, quan-
tâ jam inde à pluribus sæculis tenentur.
Vetustiores Rabbinæ æquiores in ea re sunt,
quàm recentiores, ut in quibus olim Ju-
dæos habebamus adimplatores, modò re-
fragatores sustineamus. Trypho apud S.
Justinum Martyrem agnoscebat in Scriptu-
ris vaticinia, quæ Messia passionem desi-
gnarent; quæ in præsentia à Judæis ne-
gantur.

Tredecim fidei articuli apud Judæos no-
stræ ætatis recensentur, quot planè etiam
Maimonides numerat, & in Confessione
fidei Judaicæ, exeunte Aræ Christianæ se-
culo undecimo digessit. Hanc summo con-
sensu Judæi acceptarunt probaruntque,
eamque fidei professionem à Judæis te-
nendam, illique immoriendum statuerunt.
Porro duodecim articulus, qui ad Mes-
siam pertinet, in hæc Verba concipitur.
*Messias venturus est, quem morantem licet
diutius, semper tamen expectabo, donec ve-
niat.* Quicumque, inquit illi, de Mes-
sia adventu dubitarint, illi totam legem
mendacii accusant; sed ejus adventus cer-
tum tempus in Scriptura planè investigan-
dum non est.

Josephus Albus, minus equè ferens Mes-
sæ adventum inter potissimos fidei Judæi-
cæ articulos recenseri, contendit in Col-
latione habita in Hispaniis coram Benedic-
to XIII. contendit, inquam, dogma illud
in medio versari, cui si quis fidem suam
addicere recusarit, ille non nisi modicum
vulnus Legi infligit, ut non nisi ramo ar-
boris avulso intactam radicem fervare vi-
deatur. Queritur ille, Maimonidem eo
consilio fidei articulos ad 13. produxisse,
ut duodecimum de Messia procuderet. Ju-
dæorum quidam ambigunt, num Messias
unquam venturus sit; quippe cujus adven-
tus juxta illos non nisi traditione teneat-
ur, facile nutanti & fortè confictâ
(u). Sed si ambigua sint hæc, quid erit
in Scriptura, & traditione certum? Quid
tandem fiet de Religione Judæorum, eâ de
Messia persuasione sublatâ?

Clarissimus Hillel, Christo, si Judæis
fides, vetustior, contendit, frustra quidem
nos Christi adventum opperiri, cum nostra
omnium vota præoccupans in ipso Ezechia
jamdiu veniret (x). Alii pariter diu antea
venisse tenent; sed sub terra latere, cri-
minibus Judæorum prohibitum, ne pro-
deat, quod Rabbinis nostræ ætatis pleris-
que arridet (y). Jarchi docet, veterum
Hebræorum sententiam tenuisse, Messiam
eâdem die natum, qua Romanis everten-
tibus ultima Jerosolymæ desolatio inducta
est. Sedem illi aliqui constituunt in Para-
diso terrestri, alii in loco ab hominum co-
gnitione remoto & inaccessibili.

Romæ, si Talmudistis fides, moratur,
ubi inter leprosos & agros versans, præ
ipsis urbis foribus Eliam, à quo manife-
standus est, opperitur. Abravanel tempora
distinguit adventus Messia; tempus nempe
necessitatis, & alterum tempus, quo ve-
ni-

u Vide Bas-
nag. hist. Jud.
l. 6. c. 10. a. 3.

x Gemar. tit.
Sanhedrin. c.
11. sect. 36.

y Buxtorf. Sy-
nag. Judæi.
cap. 36.

nire maximè poterat. Poterat enim, si à
criminibus Israelitæ respiciissent. Necessa-
riò venturus est, sed temporis articulo
in futurum expectando; nondum enim
Israel Sabbati religionem, quo par est mo-
do & ratione, servavit: id autem ad-
ventus sui tempus præscripsit Messias.
Elias, inquit, totam duraturi Mundi
periodum clausit intra sex annorum mil-
lenarios; è quibus duo vacui, nempe ante
Legem, elapsi sunt; duo pleni, siue sub Le-
ge; reliqui verò pro Messie Regno ma-
nent. Porro juxta hanc doctrinam Eliæ,
jam diu à pluribus sæculis Messia Regnum
obtinuit.

Alii retrahunt ejus adventum usque
ad labentem sextum millenarium; ut or-
tus ejus annum consignet ad annum 3761.
quæ annorum summa cum periodo an-
norum 1713. quot à Christo nato elap-
si sunt, conficit summam annorum 5474.
Quare illis tantum manent 530. anni cir-
citer.

z Aggæ. 2. 7. 8.

Verùm juxta nostram supputationem,
quæ Jesu Christi natalitia cum A. M. 4000.
componit, si periodus 1710. annorum jun-
gatur, implendis sex millibus annis de-
sunt 300. anni circiter. Vana hæc & Ag-
gæi Oraculo apertissimè refragantia (z):
*Hæc dicit Dominus: Adhuc unum modicum
est, & ego commovebo Cælum, & terram,
& mare, & aridam. Et movebo omnes gen-
tes, & veniet Desideratus cunctis gentibus,
& implebo Domum istam (nempe secun-
dum Templum post captivitatem restitutum).
Magna erit gloria Domus istius novissi-
mæ plusquam primæ. Debit igitur
Messias sub Templo secundo prodire; de-
buit præsentia suæ maiestate gloriam
sacræ Ædis augere, atque intra modici
temporis spatium Cælum & terram con-
cutere.*

Norant omnis ætatis Judæi, quantum è
re nostra esset temporis orituri Messia
supputatio; sedulamque in eo operam po-
suerunt, ut certius adhuc ejusdem adven-
tus tempus juxta sua præjudicia determi-
narent; sed exitu semper supra quàm cre-
di potest infelici, R. Kimchi, qui duode-
cimo sæculo florebat, in eam opinionem
descendit, Messiam, qui in limine esset,
depulsurum è Judæa Christianos, ibidem
tum temporis regnantes. Exciderunt qui-
dem ab ejus possessione Christiani; sed
agente Saladino, qui iure armorum ante
exitum duodecimi sæculi illam subegit. Da-
vid Maimonidis nepos, consultus ab Opti-
matibus gentis suæ de tempore orituri
Messia, plurima religioso silentio tegan-
da, ne fortè unquam exteris inotescerent,
revelavit. Ne loquimini in Geth, neque pa-
lam annuntiabitis in Ascalon. Quid au-
tem ille fando pronunciaverat? Nimirum
Pincham siue Phineem, quem vocabant,
virum quemdam post 405. annos à Templi
eversione, in senectute jam filium genuisse,
qui sub ipso penè ortu loquendi facultatem
obtinuit. Cum puer ille ad 12. annorum
ætatem pervenisset, diem clausit, magnis
prius arcanis ad liberationem Israelis re-
velatis. Scripti tamen hæc omnia vario

linguarum sermone, quin & sub verborum
ambagibus aded occultata, ut omnibus ob-
scura oracula illa diu in situ & tenebris oc-
cultâ jacerent. Tandem in rudibus Urbis
cujusdam in Galilæa inventa, hanc legenti-
bus sententiam obtulerunt: *Ficus germinat
ficus suos;* nempe Messias in limine est.
Interim nondum Messias prodit.

Rabbi Abraham inventam tradit Jero-
solymæ scriptam in pariete prophetiam, qua
ferebatur Messias eodem temporis arti-
culo proditurus, quo visa olim, dum
Josue Chanaanitidem subigeret, & cum Es-
dras populum è Babylone reduceret, con-
stellatio recurret, nempe, uti ibidem lege-
batur, anno 1329. Huic specioso commen-
to fides desiderata est ex eventu. R. Cha-
nan in virum quendam incidit, Librum Ro-
mæ inventum habentem, in quo bellorum
omnium exitum futurum legit ad A. M. 4291.
i. e. Christi 531. pacatisque demum omni-
bus, Messiam Regnum suum usque ad exi-
tum septimi millenarii, Mundi supremi,
initurum. Maimonides è Patribus suis ac-
cepta vaticinia nonnulla referens, illud si-
bi intellexisse visus est, Balaamum ora-
culum pronunciasse, quo prophetia donum
tandem in Israele mansurum post ætatem
suam assereretur, quot ab exordio mundi
usque ad ipsum sæcula fluxissent. Cum
autem, juxta ejus supputationem, Balaam
Prophetam ageret anno 2486. repetita ea
annorum summa reddet 4976. nempe an-
num 1316. Sed his etiam nihil magis,
quàm veritas defuit. Alii ærumnarum exi-
tum composuerunt cum anno 1492. alii
cum 1598. alii 1600. alii etiam multò se-
rius.

Tantæ demum inconstantia pertasi,
quæ nihil magis quàm eorum levitatem
& in re tanti momenti ambages prodebat,
solemni precatione diris devoverunt,
quicumque Messia annos supputant; ho-
rum, inquit Gemarra, ossa comminuantur,
& sanie computrescant; cum enim certum
aliquod tempus determinari contigerit,
nec eventus respondeat, statim criminosâ
quadam suspitione de re totâ dubitatur.

De Messia Regno controversia aequè
dissidentes Rabbinos inter se committit;
alii enim Messiam concipiunt ceu Judæo-
rum vindicem, qui prostratos erigens,
erecto à cervicibus eorum iugo, mundum
universum opprimat; qui in pacato felici-
que Regno subiectos sibi populos felices
habiturus sit. Malunt verò alii hominem
concipere dolorum & poenarum, sub cu-
jus vexillo erumna omnes & infortunia
militent. Ejus etate dominaturam iustitiam,
æquitatem, politiam aliqui crediderunt;
aliis verò contraria prorsus sedet senten-
tia; sub ipso enim nihil nisi confusum tur-
batumque expectandum censent; exulatu-
ram ab ejus regno æquitatem; eoque
Israelem regente, postremum populi Judi-
cem interiturum. Nec minus inter eos con-
stat de Regni illius spatio; namque ad
quadragesima annos duraturum alii suspici-
ti sunt, alii totum ejus spatium totidem
diebus metiuntur, quot in septem mille-
nariis dies numerantur; alii pari tempore
ju-